DISSERTATIO MEDICA

INAUGURALIS,

DE

RHEUMATISMO ACUTO.

Kissam (R.) 838

DISSERTATIO MEDICA INAUGURALIS,

DE

RHEUMATISMO ACUTO.

QUAM,
ANNUENTE SUMMO NUMINE,
Ex Auctoritate Reverendi admodum Viri,

D. GULIELMI ROBERTSON, S. S. T. P.
ACADEMIÆ EDINBURGENÆ Praefecti;

NEC NON
Ampliſſimi SENATUS ACADEMICI conſenſu,
Et nobiliſſimae FACULTATIS MEDICÆ decreto,

PRO GRADU DOCTORIS,

SUMMISQUE IN MEDICINA HONORIBUS ET PRIVILEGIIS
RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS;
Eruditorum examini ſubjicit

RICARDUS SHARPE KISSAM,
AMERICANUS.

Ad diem 12. Septembris, hora locoque ſolitis.

SURGEON GEN'LS OFFICE LIBRARY.

EDINBURGI:
Apud BALFOUR et SMELLIE,
Academiae Typographos.

M,DCC,LXXXVII.

838

CAROLO M'KNIGHT, M.D.

Anatomes in Academia Novi-Eboraci

Profeſſori,

Viro omni laude majori,

Ob amorem vere paternum,

Et beneficia nunquam memoria lapſura,

In ſe libera manu cumulata,

Has ſtudiorum ſuorum

(Quae ipſe exemplo et praeceptis fovit, aluitque)

Primitias

Sacras eſſe voluit

RICARDUS SHARPE KISSAM.

DISSERTATIO MEDICA,

INAUGURALIS,

DE

RHEUMATISMO ACUTO.

HISCE verbis rheumatiſmum definit celeberrimus Cullenus: "Morbus "ab externa et plerumque evidente cauſa; "pyrexia: Dolor circa articulos, muſcu- "lorum tractum ſequens; genua et reli- "quos majores potius quam pedum et ma- "nuum articulos infeſtans."

Rheumatiſmus, omnium fere auctorum conſenſu, in duas ſpecies diſtinguitur; acutam, ſcilicet, et chronicam. De priore

tantum nunc pauca differere mihi in animo est.

Ex Aretaei * Cappadocis, aliorumque antiquiorum scriptis apparet, omnes dolores articulos aggredi solitos, seu arthriticos, sive rheumaticos, quaecunque demum fuerit eorum natura, acuta chronicave, sub nomine Arthritidis vel Ischiadis fuisse comprehensos.

Botallus, scriptor Gallicus, duas hujus morbi species primus discrevit, atque alteram frigidam, calidam alteram, appellavit. In posterioris curatione copiosam sanguinis detractionem commendavit; in prioris vero, prorsus prohibuit.

Ballonius, auctor Lutetianus, morbum hunc e tenebris quibus per tot secula obductus fuerat, eripuit; ac eundem inter, catarrhum et podagram limites accuratos ponendos curavit.

Syden-

* De Caus. et Signis Morb. Diuturn. lib. ii. c. 12.

Sydenhamus tamen illuſtris, ex omnibus ſcriptoribus, qui huic morbo elucidando operam navarunt, primas partes optimo jure obtinuit. Is enim diagnoſin claram inter acutam et chronicam ſtabilivit.

MORBI HISTORIA.

Auctores omnes una voce conſentiunt, rheumatiſmum in regionibus frigidis temperatiſque, magis quam in calidis, ſaevire. Vere atque autumno praecipue graſſatur, quia tunc tempeſtas mutabilior. Quamobrem, in plagis borealibus ubi frigus, in torridis ubi calor magis aſſiduus, rarius ſeſe oſtendit. Frigus corpori plus aequo aeſtuanti admotum, hunc morbum, prae omnibus aliis cauſis, producere ſolet. Hinc clariſſime patet, cur vere et autumno magis invadat. Sexus nullus, aetas nulla, temperamentum

ramentum nullum, cauſis remotis ſatis validis applicatis, ab hoc morbo immunis eſt, etſi conſtitutio ſanguinea cum plethora conjuncta ad eum maxime proclivis ſit. Homines ſenio confectos raro, infantes rariſſime, aggreditur; ſed plerumque ab anno aetatis quindecimo ad trigeſimum quintum graſſatur. Infantes tamen doloribus rheumaticis, ut videtur, ſimilibus, ſaepiſſime excruciantur, qui a vermibus aliiſve infantum morbis aliquando originem ducunt. Mulieres, quam viri, huic morbo magis ſunt obnoxiae; atque hanc opinionem, jamdudum habitam, in praelectionibus ſuis clinicis, ex obſervatione longa et accuratiſſima, nuperrime confirmavit clariſſimus Home.

Initio morbi aeger languorem atque laſſitudinem conqueritur. Pallor et frigoris ſenſus totum corpus, praecipue vero artus extremos, adoriuntur. Horror et rigor, ut in febris intermittentis acceſſu, primum per dorſi ſpinam, deinde per cutem univerſam, ſeſe diffundunt. Sequitur calor, initio praecordia

cordia cum anxietate afficiens, mox partes externas aggreſſurus, pulſu arteriarum frequentiore, nonnunquam reſpiratione moleſta ſtipatus. Nunc ſitis, cibi faſtidium, plerumque nauſea, aliquando vomitus, ſymptomatibus modo deſcriptis ſeſe adjungunt. Areſcit lingua, ſimulque fit alba. Alvus tarda eſt; urina, initio morbi rubra, ſedimentum nullum, progrediente autem morbo, ſedimentum furfuraceo-lateritium in matulam deponit. Urina tamen, ita conſtituta, ut et ſudor, qui in rheumatiſmo plerumque nonnullus adeſt, gelidus, glutinoſus, raro morbum judicat, niſi copioſus ſponte effluxerit *.

Poſt diem unum alterumve, dolores artus majores, praecipue genua, ſummam coxam, aliaſque magnorum offium juncturas, invadunt. Dolor ſaepe artus alternis vicibus aggreditur; et ipſe vidi mulierem rheumatiſmo

* Hoffmann. Med. Ration. Syſtem. tom. 4. p. 2. ſ. 1. c. 9. § 18.

rheumatiſmo laborantem ſub cura celeberrimi Home in Noſocomio Edinenſi, cui haec alternatio in carpis repetitis vicibus accidit.

Saepe unum articulum tantummodo infeſtat: Sed, ſi febris gravis fuerit, plures ſimul aggreditur; tractumque muſculorum, ut in Culleniana definitione jam antea dictum eſt, ſequitur. Lectorum calore, et culcitae mollitie, noctu plurimum exaſperatur moleſtia, atque tum ingraveſcit febris. Procedente morbo, ubi plures articuli ſimul afficiuntur, aeger ſtragulorum pondus ferre vix poteſt. Dolore jamdudum perſtante, artus tumeſcunt et rubeſcunt, dum ſymptomata praegreſſa leviora evadunt.

Sanguis e vena miſſus, jamque in vas receptus, ſuperficiem coriaceam albam, ut in aliis phlegmaſiis, oſtendit.

Febris incertae eſt durationis, aliquando uſque ad hebdomadam ſecundam, raro ultra tertiam, protracta.

Rheuma-

Rheumatiſmus epiſtaxi, aliiſve haemorrhagiis ſpontaneis, aliquando judicatus eſt. Urina lateritia, et diarrhoea, nonnunquam morbum ſolviſſe viſae ſunt. Sed his criſibus minus fidendum eſt.

Morbus noſter, caeteris phlegmaſiis multis in rebus affinis, hac ſaltem ab iis plurimum diſtat: Quod raro aut nunquam in ſuppurationem deſinat. Aliquando certe liquor ſeroſo gelatinoſus in tendinum involucra exſudaſſe dicitur, quem reſorptum fuiſſe neceſſe eſt, quum vix unquam oporteat ei per foramina arte facta exitum praebere.

Rheumatiſmus aliquando ſe in partes internas transfert, praecipue ſi perperam tractatus fuerit. Talem caſum verbis ſequentibus memorat cl. Tiſſot: " Je vis, il
" y a deux ans, un homme robuſte, qui,
" quand on m'appella, avait deja la gan-
" grene dans les boyaux, dont le mal avait
" commencé par un rheumatiſme au bras

" et

" et au genou, qu'on avait voulu diſſiper,
" en le faiſant ſuer avec des choſes chau-
" des. Il avait effectivement beaucoup
" ſué, mais l'humeur inflammatoire ſe jet-
" ta ſur les inteſtins; l'inflammation dege-
" nera en gangrene, apres trente ſix heures
" de douleurs les plus aigues; et il mou-
" rat deux heures après que je l'eus vu *."

Idem auctor, in loco modo citato, dicit ſe vidiſſe rheumatiſmum in palpebras et dentes tranſlatum, atque ibi dolores horrendos facientem. Aliquando, teſte eodem, ſe in cerebrum vel pulmones conjicit; in illo delirium, in his ſuffocationem ciens. Archiater Caeſareus Stork morbum noſtrum nonnunquam in apoplexiam vel paralyſin finem feciſſe teſtatur. Neque raro in hydropem, praecipue ſi ſanguis juſto liberius detrahatur, deſinere viſus eſt.

DIAG-

* Tiſſot, Avis au Peuple, § 164. p. 128.

DIAGNOSIS.

Rheumatiſmus ab arthritide dignoſcitur ratione aetatis, ſexus, temperamenti, cauſarum, partium affectarum, et ſymptomatum ſedulo habita.

De aetate imprimis notandum venit, juvenes et robuſtos rheumatiſmo, ſenes et luxuria confectos arthritide, ſaepius corripi. Haec plerumque circa annum aetatis quadrageſimum aggreditur; ille raro poſt annum trigeſimum quintum excruciare incipit. Viri arthritidi, mulieres rheumatiſmo magis obnoxiae, conſtitutio ſanguineo-plethorica rheumatiſmum deſignat; habitus corporis tenuior et temperies cholerica arthritidi magis opportuni. Hippocrates, ni fallor, eos qui aetate juniore epiſtaxi aliiſ-

que haemorrhagiis proclives fuerunt, in media aetate phthiſi, in provectiore arthritidi, pronos fore aſſeruit. Atque hic eum voce Αξθρῖτις rheumatiſmum deſignaſſe arbitror, quum homines corporis fabrica teneriori praeditos coeli injuriis, rheumatiſmum efficientibus, maxime obvios fore veriſimile eſt.

Rheumatiſmus cauſis externis, arthritis internis praeſertim debetur: Articulorum tamen contorſio utrumque producere poteſt. Arthritici plerumque paroxyſmum ſuum ad aliquam cibi potuſve intemperantiam referre poſſunt: Rheumatiſmo laborantes, frigori aut humori externe applicato. Hic plerumque ſubito aggreditur; illam flatus, appetitus abnormis, capitis confuſio aut vertigo, ſaepe antecedunt, cum alvi conſtipatione.

In arthritidis paroxyſmo aegrum inſolito veneris oeſtro percitum eſſe ſaepe obſervatum fuit. Neque deſunt exempla ejuſ-

dem

dem ſtimuli rheumaticos afficientis. Arthritis, teſte Hoffmanno, articulorum ligamenta invadit, dum morbus noſter muſculos potius excruciat; haec vero regula haud facile in praxi applicatur. Conſtat tamen rheumatiſmum artus majores, praeſertim genua, coxas, et humeros afficere, arthritidem autem minores, ut manuum pedumque digitos, invadere ſolitam eſſe.

Notis jam enumeratis forſan adjicere licebit, quod,

I. Tumor, iſque magis rubicundus, ſaepius arthritidem quam rheumatiſmum comitatur.

II. Arthritis, ubi ſemel ſe in corpus inſinuavit, difficilius depellitur; ſaepius recidit, quam morbus alter.

III. Arthritis plerumque uni aut alteri articulo inſidet; rheumatiſmus ſaepe latius diffunditur.

IV.

IV. In aegris debilioribus, arthritis plerumque vagus fit, atque haud raro viſcera invadit; dum in corporibus ſimilibus noſter morbus ſaepe externas partes ſolummodo afficit.

V. Arthritis, quando inteſtina adoritur, diarrhoeam debilitantem ſaepenumero ciet, dum alvus rheumatiſmo affectis plerumque conſtipatur.

VI. In ventriculo, arthritis nauſeam horrendam et frigoris ſenſum cum dolore gignit: Rheumatiſmus ibidem dolorem acutum ſolummodo producit.

Scorbutum et ſiphylidem a rheumatiſmo acuto dignoſcere nunquam non erit facile; praeſertim ſi ad eorum cauſas et ad ſequentia ſcorbuti ſymptomata animum attendamus. In hoc enim, pulſus parvus, inaequalis, urina verſicolor, et magna putredinis indicia.

In

In lue venerea dolores noctu quidem, ut in rheumatiſmo, ingraveſcunt, ſed medias oſſium partes praecipue infeſtant.

Rheumatiſmus acutus ſaepe in chronicum degenerat; ideoque limites accuratos inter duas morbi ſpecies ponere haud facile eſt. Ubi nulla reſtat pyrexia, artus frigeſcunt, rigent, et abſque rubore dolent; ubi dolores frigore admoto augentur, calore applicato levantur, tunc morbum rheumatiſmum chronicum eſſe judicare licet. Complures adhuc ſunt notae diagnoſeos inter acutum et longum quas enumerare prorſus ſupervacaneum foret.

CAUSÆ REMOTÆ.

In morbi hiſtoria, et in diagnoſi, cauſas praediſponentes, aetatem ſcilicet, ſexum, tempera-

temperamentum, ad hunc morbum maxime proclives, jam enumeravi.

Cauſae conſtitutionis ſanguineo-plethoricae variae ſunt, praecipuae vero, vita ſedentaria, Morpheus nimis cultus, cibi animalis copia juſto major, evacuationes ſolitae ſuppreſſae, detractiones ſanguinis certis intervallis repetitae.

Hae cauſae actioni cauſae occaſionalis excitantis, jam tradendae, obnoxium reddunt corpus.

Frigus inter cauſas hujus morbi remotas primum locum ſummo jure obtinuit. Ut tamen rheumatiſmum hoc modo inducat, ſubito, et corpori jam calenti, admoveatur neceſſe eſt. Sin in temperie corporis naturali diu applicetur, ſyſtema debilitando, ad morbum ſuſcipiendum, praediſponit. De frigoris actione in corpus humanum multum diuque fuit diſputatum, neque adhuc lites diremptae ſunt. Nonnulli, et praeſertim

ſertim Hunterus ingenioſus, frigus non alio modo ſtimulare opinantur, quam augendo aut incitando eam facultatem calorem gignendi quam corpus animale omnium conſenſu poſſidet. Conſimilem, ni fallor, opinionem, ſed clarius ac fuſius explicatam, diu antea tradiderat in Primis Lineis Cullenus noſter illuſtriſſimus: Quippe qui putet frigoris applicationem vaſorum extremorum conſtrictionem facere, atque ita tonum auctum vel diatheſin phlogiſticam per totum horum vaſorum decurſum inducere. Hinc oritur impetus ſanguinis major, dum vaſa ejus tranſitui magis reſiſtunt. Rebus ita ſe habentibus, *vis Naturae Medicatrix*, a reſiſtentia jam dicta ad ſanguinis impetum ulterius augendum incitatur, quod impetus incrementum quo melius ſuſtinere poſſit, ſtatus frigoris adoritur, ſpaſmus formatur, atque ita pyrexia et diatheſis phlogiſtica per totum ſyſtema diffunduntur.

Ex rebus jam memoratis, quid ſit rheumatiſmi

CAUSA

CAUSA PROXIMA

Satis omnibus manifeſtum erit. Rheumatiſmus enim iis phlegmaſiis quae non a ſtimulo directo, ſed ab aucto ſanguinis impetu in vaſa partis laborantis oriuntur, maxime affinis eſt. Sed in noſtro morbo fibrarum muſcularium affectus peculiaris una adeſt. Hae fibrae nonnihil rigiditatis habere videntur; minus ideo motui aptae ſunt, atque inter movendum dolent. Hic fibrarum in rheumatiſmo rigor rationem reddit, cur ſpaſmi et articulorum ſubluxationes hujuſmodi affectibus anſam praebeant.

Cauſa rheumatiſmi proxima, tanta cura tantoque judicio a Culleno tradita, atque tam ingenioſe et firme ſtabilita, vix neceſ-

ſarium

ſarium videtur alias, diu pro veris habitas, recenſere. Ne tamen quicquam talibus diſſertatiunculis ſolenne libello noſtro deeſſe videatur, praecipuas priorum ſcriptorum opiniones paucis enumerare libet.

Auctores nonnulli cauſam proximam hujus morbi ad acrimoniam ſanguinis peculiarem retulerunt. Dominicus Cotunnius, ſcriptor Italicus, materiem acrem circa nervum iſchiadicum collectam pro cauſa iſchiadis nervoſae aſſignavit. At haec opinio in ſola hypotheſi fundata videtur Culleno. Neque tamen negat illuſtriſſimus Profeſſor, materiem acrem nervo admotam morbum rheumatiſmo affinem creare poſſe, quod in exemplo dentis carioſi contingit.

Dolores a rheumaticis aegre diſtinguendos ab apoſtematibus profundis oriri poſſe, exempla pluribus ſcriptoribus, et praeſertim cel. Tiſſot * memorata, negare vetant.

* Avis au Peuple, § 175. p. 131.

Sed Profeſſor ille clariſſimus jam crebro antea citatus, caſus illos ab iſchiade et lumbagine vera, ſi animus attente adhibeatur, diſtingui poſſe putat.

Alii fluidorum naturam lentam aut viſcoſam accusârunt. Sed multa argumenta, haud inficianda, vetant ne in hanc ſententiam eamus.

I. Hujus ſententiae fautores cruſtam ſanguinis coriaceam inflammatoriam pro ſigno lentoris aſſumpſerunt. Sed, ſi ulla fides experimentis Hewſoni eſt adhibenda, ſanguis in morbis inflammatoriis tenuior potius quam ſpiſſior fit. Ea igitur cruſta glutinis a reliquo ſanguine ſeparationem pro cauſa ſua agnoſcit.

II. Nulla experimenta recte inſtituta, lentorem ſanguinis praeter naturam arguunt; neque unquam, quantum ſcimus, ea copia glutinis in ſanguine adeſt, quae ſpiſſitudinem periculoſam efficere poſſit. Neque hac

hac in re ex experimentis cl. Brown Langriſh quicquam concludere licet, quippe quae in ſanguinis partes ab invicem ſeparatas facta ſint, nulla attentione ad modum detractionis habita.

Alia argumenta haud minus ingenioſa protulit Cullenus; ſed ea quae jam citavimus ad lentoris theoriam evertendam ſufficiunt.

PROGNOSIS.

Diuturna experientia conſtat, rheumatiſmum raro lethalem evadere: Nonnulla tamen extant exempla in quibus aegri, hoc morbo vexati, fato ceſſerunt. Aliquando, medicamentis omnibus incaſſum tentatis, in rheumatiſmum longum degenerat, neque raro in anchyloſin, paralyſin, aut immedicabilem

medicabilem articulorum rigiditatem, finem facit *.

Si aeger aetate floreat; si alioquin sanus atque vegetus; si morbus nondum inveteraverit; si pyrexiae symptomata mitia; si sudor noctu emanet; si urina furfuracea; si haemorrhagia, diarrhoea, aut cutis efflorescentia, symptomatibus febrilibus levamen attulerit; denique, si aeger nunquam antea hoc morbo correptus fuerit; auspicium inde faustum ducere licebit.

Sin, e contra, morbus vetustus fuerit; si plus semel jam aegrum afflixerit; si corpus inedia morbisve praecedentibus debilitatum invaserit; si in viscera ad functiones vitales exercendas destinata incidat; nunquam non periculum, saepe eventus lethalis, impendit. Resolutione plerumque, puris formatione rariſſime, gangraena aut sphacelo, nisi in visceribus, nunquam terminatur.

METHO-

* Tissot, § 166.

METHODUS MEDENDI.

Scriptores priſci non magis in curatione quam in natura rheumatiſmi tradenda accurati fuere. Nihil fere aliud commendat Celſus in coxarum doloribus, ſub quo nomine Rheumatiſmum comprehendi judicamus, quam fomenta calida et cucurbitulas parti laboranti admotas. Galenus totam curationem, ſtrictius dictam, in corpore firmando poſuiſſe videtur; ſed prius ſanguinem mittere, quam hanc medendi rationem inchoaret, neceſſarium judicaſſe. Nihil fere, quod ſit dignum notatu, huic curationi adjecerunt Arabes.

Sub finem ſaeculi decimi ſexti, nomen Rheumatiſmo primus impoſuit Ballonius. Is ſanguinis miſſiones repetitas, et cucurbitularum

tularum applicationem, alvi quoque deductiones lenientibus remediis et clyſmatibus ciendas commendavit, thermarum et remediorum ſtimulantium uſum omnino prohibuit.

Ea medendi ratio, in Gallia primum uſitata, haud ita diu poſtea per reliquam Europam comprobata eſt; eademque, ſaltem perſimili, uſus eſt Sydenhamus illuſtris. Ille venam quater, aut ſaepius, pro re nata, ſecabat, potus refrigerantis et *incraſſantis* uſum ad libitum permittebat. Cataplaſma emolliens loco affecto imponi jubebat. Diebus illis, quibus ſanguinis detractionem intermittebat, enema laxans injiciendum curabat. Sin aeger poſt unam alteramve venaeſectionem debilior evaſiſſet, quam qui ulteriorem fluidi vitalis jacturam ferre poſſet, cathartica mitiora alternis diebus propinare ſolebat. Ejuſdem diei veſpera hauſtum paregoricum ex ſyrupo e meconio adminiſtrabat, uſquedum ad priſtinam ſanitatem reſtitutus eſſet aegrotus.

Medica-

Medicamentis anodynis uti prorſus vetabat, ſi ſpes curationis ſanguinis detractioni inniteretur. Hinc medicus ille celeberrimus opium effectus edere, effectibus venaeſectionis prorſus contrarios, putaſſe videtur. Similem opinionem, in tractatu ſuo de opio, prodidit cl. Young.

Morbo his remediis reſiſtente, ſi corpus ulteriores inanitiones ferre ineptum eſſet, medicamentorum antiſcorbuticorum, praecipue conſervae cochleariae hortenſis et lujulae vires experiebatur.

Medendi tamen rationem nunc memorandam in rheumatiſmo eorum, qui adhuc juvenes, nondum Baccho aut Veneri nimis indulſerant, priore non minus efficacem eſſe animadvertit. Solo lactis ſero per plures dies aegrum alebat, deinde, ſymptomatibus jam levioribus factis, panem ſimilagineum ſemel de die uſque ad plenam valetudinem adjiciebat. Sanitate in melius vertente, diaetam pleniorem permittebat.

Et-

Etmullerus, qui de hoc morbo ſub nomine Arthritidis vagae ſcorbuticae tractat, in morbi initio ac progreſſu ſanguinis miſſionem laudat, quam nihilominus haud nimis frequenter iterandam putat. Cucurbitulis cruentis ſaepe loco venaeſectionis uſus eſt. Remediorum vomitoriorum adminiſtrationem in morbi initio multum probabat.

Aliam et prorſus diverſam medendi rationem inſtituit Ricardus Morton. Vena ſemel biſve ſecta, et ventriculo per emeticum evacuato, quam primum pyrexia remittebat, corticis Peruviani cum opio conjuncti doſes frequentes adhibere ſolebat, atque linctus *incraſſantes* et lubricantes, pro aegrotantis arbitrio, permittebat, etiam nulla tuſſi urgente.

Variis medendi rationibus ſic breviter enumeratis, nunc, majore cum oblectamento et fiducia, animum ad eam methodum vertimus, quae a Culleno in Primis Lineis traditur,

traditur, quaeque omnibus aliis ſummo jure palmam praeripuit.

Ea medela partium affectarum inflammationi, et diatheſi totius corporis phlogiſticae, tollendis, innititur.

Diatheſi phlogiſticae optime occurritur, cibum ex animalibus confectum et potus meraciores evitando, et pro his liquores diluentes aquoſas, et diaetam ex lacte et vegetabilibus, ſubſtituendo.

In rheumatiſmo acuto, nullum remedium ſanguinis detractione efficacius. Hanc copioſe fieri oportet, atque eo frequentius, quo pulſus arteriarum duriores, pleniores, et crebriores, et quo dolor magis acutus ſit. Neque tamen medicum fluidi vitalis nimis prodigum eſſe decet, ne convaleſcentia tarda ſit, aut aeger in rheumatiſmum chronicum, ſanatu difficillimum, dilabatur. Saepe ideo praeſtat dolores detractione ſanguinis topica levare, praeſertim ubi in uno

tantum articulo excruciant. Quum vero morbi noſtri duratio ex diatheſis phlogiſticae violentia pendere videtur; ita, pluribus in caſibus, minime ex toto detractioni ſanguinis locali fidere oportet.

Alvi ſolutiones, ſi per cathartica parum ſtimulantia, et potius refrigerantia, e. g. ſales neutros, efficiantur, in diatheſi phlogiſtica debellanda plurimum valent. Neque tamen eadem vi, qua ſanguinis miſſio, pollent; et, morbo ingraveſcente, ſedes frequentes, quippe quae multum incommodi, et magnum doloris, a motu, incrementum, ſecum adferunt, evitari debent.

Medicamenta corporis partibus rheumatiſmo laborantibus applicata, parum proſunt, atque in morbi initio cruciatus potius augent quam allevant. Verum enimvero camphora et remedia rubefacientia morbum univerſalem parum omnino minuunt, licet dolores ex artubus affectis in alios ſaepe transferant.

Epiſpaſtica

Epiſpaſtica ſimili ratione magno cum commodo admoventur, ubi morbus unam corporis partem tantummodo afficit. In plagis torridis, ubi hirudines non ſuppetunt, cantharides in eorum vicem optime ſuccedunt.

Si remedia jam memorata ad morbum tollendum haud valuerint, ad ſudorem eſt recurrendum. Is, remediis parum ſtimulantibus, amoto omni calore externo, eliciendus eſt. Neque calorem corporis proprium augere debemus, ne, pyrexiâ graviore facta, morbus in pejus ruat.

Sudor ab horarum duodecim ſpatio ad quadraginta octo, pro morbi violentia, protrahendus eſt, niſi incitatio ab hac adminiſtratione nimis aucta fuerit. Aliquando aeger, ſi valeant vires, ſomnum arcere debet, ne ſudor dormienti minus copioſus emanet. Denique, quo tutior evadat diaphoreſis, alvi lenis ſubductio ſudorificorum

rificorum adminiſtrationem praecedere debet.

His rebus caute animadverſis, ſudorem optime et tutiſſime elicimus,

I. Balneo tepido, ſemicupio, aut pediluvio.

II. Liquoribus tepidis diluentibus copioſe adſumptis; vini aut aromatis, quo magis gratus ſit hauſtus, pauxillo adjecto.

III. Parvis doſibus ſalis medii propinatis. Sed

IV. Haec evacuatio omnium praeſtantiſſime cietur, largam medicamenti ex opio confecti doſin adhibendo, addendo ſalem quemvis medium et medicamentum vomitorium, neque ullum remedium pulveri Doveri praeſtat. Opium tamen, niſi ſudorem eliciat, fere nocet.

Cortex

Cortex Peruvianus, a nonnullis ſcriptoribus in rheumatiſmo laudatus, raro profuit, ſaepe inutilis aut noxius evaſit, niſi ubi remiſſiones evidentes ejus uſum flagitabant.

Mercurius dulcis, ut et alia ex hydrargyro praeparata, ſuos quoque, nec paucos, habuerunt fautores. Sed medicamenta hujuſmodi, utpote vi ſtimulante gaudentia, ad rheumatiſmi chronici curationem melius accommodata videntur.

Exactis omnibus quae de rheumatiſmo acuto proferre conſtitueram, jam ſupereſt pars operis longe gratiſſima; nempe, ut grates, utcunque tanto beneficio impares, perſolvam Culleno, Monroio, et Gregorio, Profeſſoribus noſtris, tam humanitate quam ſcientia conſpicuis, qui me, longo et periculoſo morbo implicitum, (Deo opt. max. volente) faucibus orci eripuerunt.

Publicum

Publicum hocce grati animi teſtimonium, quod ſolum offerre licet, benigne velint accipere precor.

FINIS.